

tur distributionibus, si sunt absentes? 2. An Episcopus tempore visitationis possit decreto sancire, ut tam Canonici, quam etiam Archidiaconi, si ultra tempus a Concilio Tridentino concessum absentes esse velint, ab ipso facultatem longioris absentiae petant? 3. An Vicarius Episcopi, si inter Canonicos sit postremus, corrigere possit errantes in choro Canonicos? 4. Potestne Episcopus Scholastico præcipere, ut conciones habeat, aut illas per alium fieri procuraret? Num etiam Scholasticus appellare poterit contra tale mandatum præterdendo abusum, aut usum contrarium? 5. Potestne Episcopus præcipere Capellanis, ut suas exhibeant provisiones, præsertim illi, qui alio quoque in eadem ecclesia gaudent Beneficio? 6. Potestne Episcopus in visitatione Canonicos, qui ipsius Officiales sunt, comites sibi adjungere? 7. Potestne Episcopus tempore visitationis præcipere omnibus suæ Cathedralis Beneficiariis, etiam iis, qui simplici tonsura initiati sunt, ut se sistant in habitu? 8. Potestne Episcopus qua Visitator inquirere in psalmodiam, & educationem puerorum choro inservientium? 9. Potestne Episcopus præcipere Capitulo, ut Cantores & Musicos, quos recipere cogitant, sibi prius præsentent, &c.

3. 1. Non potest Episcopus Archidiaconos privare suis proventibus, cum eorum proventus separati sint a mensa capitulari. 2. Non potest obligare Canonicos, ut ab ipso petant licentiam longioris, quam Concilium Tridentinum permittit, absentiae. 3. Potest Scholastico præcipere, ut singulis Dominicis concionem habeat, Scholasticus vero non potest obtendere præscriptionem. 4. Potest etiam exigere a Capellanis, ut exhibeant suos titulos, & qui duobus Beneficiis *sub eodem tecto* gaudent, obtentam dispensationem. 5. Potest tempore visitationis omnibus suæ ecclesiae Beneficiariis præcipere, ut se præsentent sistant, non tamen potest ferre censuras in absentes. 6. Potest inquirere in educationem puerorum choro inservientium, potest etiam mandare, ne Cantor recipiatur, nisi suum *Execat* exhibere possit. Episcopo nihil innovandum in usu ecclesiae suæ, v. cuius SS. Sacramentum non aservatur in altari summo. Episcopus potest præcipere, ut in ecclesia cathedrali loco vicarii amovibilis instituat perpetuus, qui parochiae ecclesiae annexæ deserviat. *De Lamet.*

CASUS II. Canonice Remiremontii gaudent veris Beneficiis. An propterea tenentur se submittere constitutionibus a visitatoribus Apostolicis ad corrigendas deordinationes factis?

3. Tenentur se submittere. Hæ Canonice poterunt recurrere ad Summum Pontificem, pro conservando habitu sæculari extra ecclesiam: luxu tamen vestium quam longissime relegato semper & ubique pro decencia status sui modestiæ studeant. *De Lamet.*
Vide *Archipresbyter.*

UNIO BENEFICIORUM.

1. *Unio Beneficiorum est conjunctio unius Beneficii cum alio facta autoritate Papæ vel Episcopi, ita ut ex duobus Beneficiis fiat unicum.* Duas jus Canonicum admittit species unionis; unam solam *ad tempus*, nimirum usque ad obitum Beneficiarii, in cuius gratiam facta est, & alteram *perpetuam*; & unio hæc posterior sola in non nullis provinciis recipitur; eo quod ad *commune* Ecclesiae bonum sola conferre dignoscatur.

2. Triplici modo fieri potest unio. 1. Quando duo Beneficia coalescunt in unum. 2. Quando una ecclesia subicitur alteri, eidemque accessorie unitur. 3. Quando duarum ecclesiarum unitarum quælibet retinet sua bona privata, sua jura, sua privilegia, suas obligationes ac prærogativas, ut si v. g. ambæ ecclesiae unitæ sunt parochiales, & in hoc ipso statu perseverant, quo fuerunt ante unionem, ita ut quælibet habeat suam fabricam, peculiare suos redditus, distinctos curatores, & unus idemque parochus in hisce ecclesiis alternative singulis Dominicis divina celebret officia.

3. Unio parochiarum, præbendarum, & aliorum simplicium Beneficiorum de jure pertinet ad Dicesanum, ut ex ipsa declaratione Concilii Tridentini Sess. 21. c. 5. de reform. patet, quod in vanum Episcopus hac in re considerat ut delegatos Papæ; quia hoc jus independentem a Papâ eorum dignitati annexum est, ut expressis terminis fatetur Cœlestinus III. Cap. *Sicut unire.* 8. Lib. 5. Tit. 31.

4. Omnem Beneficiorum unionem præcedere debet inquisitio, quæ dicitur *de commodo & incommodo*; vocandique sunt ad eam Patroni & omnes, quorum quoquo modo interesse potest; eorum tamen in numero non computantur ipsi Titulares; quia per unionem non privantur suis Beneficiis quamvis unitis, quamdiu vixerint: unio enim primum consequitur effectum suum post eorum obitum.

5. Papa solus potest unire Episcopatus, aliaque Beneficia consistorialia; solus quoque potest unire unum religiosum Ordinem cum alio, aut disjungere; cum consensu tamen Principis sæcularis.

6. Sede vacante Capitulum gaudet jure uniendi; quia unio est actus jurisdictionis ordinariæ, quæ mortuo Episcopo devolvitur ad Capitulum.

7. Episcopus non potest unire Beneficia a sua jurisdictione exempta, nisi cum consilio & assensu Abbatum; nec Abbates possunt facere unionem, nisi ipsis suppetat priv legum aut consuetudo legitime præscripta. Episcopus denique non potest unire Beneficia simplicia mensæ episcopali aut Capituli, ne quidem cum consensu Capituli.

8. Commenda Melitensis potest uniri cum alia, non tamen cum Beneficio; nec etiam Beneficium liberum potest uniri cum alio, quod est patronatus laici.

CASUS I. Laurentius Decanus ecclesiæ cathedralis de Balastro nepos Episcopi obtinuit ab eo unionem cujusdam Prioratus annuorum proventuum 400. florenorum ad suum decanatum, cujus annui redditus 2000. florenos efficiunt, ea conditione, ut Episcopus deinceps liber foret ab obligatione quotannis solvendi Decano pensionem 250. florenorum. Fierine potuit salva conscientia ab Episcopo hæc unio sub dicta conditione?

ꝑ. Episcopi quidem est ecclesiarum suæ diocesis unio & subjectio earundem, ait Cælestinus III. l. c. cum quo concordat etiam Concilium Tridentinum; sed juxta doctrinam Apostoli Episcopus non potest uti sua potestate nisi ad ædificationem & pro bono Ecclesiæ. Et cum unionem hanc nec necessitas urgeret, nec utilitas Ecclesiæ suaderet, sed solum interesse proprium Episcopi, ea sine peccato fieri non potuit, utpote legibus Ecclesiæ contraria. Pontas.

CASUS II. Romanus Episcopus univit suo seminario recens erecto Prioratum simplicem regularem absque auctoritate Papæ. Estne hæc unio canonica? An ea ab Episcopo fieri potuit tuta conscientia?

ꝑ. Est canonica, & licite fieri potuit: Concilium enim Tridentinum Sess. 23. de reform. c. 18. permittit Episcopis unionem Beneficiorum simplicium sive sæcularium sive regularium cum suis seminariis. Immo Episcopi alias jam sunt in possessione faciendi ejusmodi uniones: *Consuetudo approbata optima est legum interpret.* Cap. *Cum dilectus.* 8. Lib. 1. Tit. 4. Pontas.

CASUS III. Episcopus Prioratum simplicem, in quem præter collationem varia jura vi instrumenti antiqui sibi asserebat Abbatia quædam regularis, univit seminario ea conditione, ut pro juribus, quæ cedebantur seminario, ab eodem singulis annis Abbatia penderentur tres scaphæ frum-

menti. Triginta post annis repertum est, illud Abbatia instrumentum esse supposititium. Quid juris?

ꝑ. Transactio Episcopum inter & Abbatiam est simonica; eo quod Abbatia jus spirituale cefferit pro re temporali, scilicet frumento, & quidem vi tituli falsi; hinc etiam unio est vitiosa & nulla, nec sanatur per possessionem triginta annorum, cum labes simonice lapsu temporis etiam immemorialis purgari non possit, & ipsa possessio fundetur in titulo supposititio. Ex quo sequitur, omnia quoque instrumenta desuper confecta una cum unione esse nulla juxta regulam juris 39. in 6. *Cum quid prohibetur, prohibentur omnia, quæ sequuntur ex illo.* Pontas.

CASUS IV. Riguerus Beneficiatus ab Episcopo sollicitatus pro assensu in unionem Beneficii sui cum seminario dicecesano consensit ea conditione, ut durante vita fruereetur proventibus Beneficii. Episcopus acceptavit conditionem, & annuentibus quoque patrono ac collatore inferiore facta est unio. An hæc unio non est vitiosa vel ex parte Rigueri vel ex parte Episcopi?

ꝑ. Hæc unio est ex omni parte canonica: cum enim Episcopis competat jus uniendi Beneficia in suis dicecesibus, etiam permessa esse debent media perficiendi unionem juxta regulam juris 42. in 6. *Accessorium naturam sequi congruit principalis.* Addi potest lex *Cui.* 2. ff. Lib. 2. Tit. 1. *Cui jurisdictio data est, ea quoque concessa esse videntur, sine quibus jurisdictio explicari non potest.* Pontas.

CASUS V. Cum quædam Capella patronatus ecclesiastici vacaret, eam Episcopus univit Capitulo cujusdam ecclesiæ collegiatae, non requisito consensu Patroni. Estne unio legitima?

ꝑ. Cum consensus patroni & collatoris Beneficii uniendi absolute sit necessarius, unio hæc non est legitima? Pontas.

CASUS VI. Cum Canonici cujusdam ecclesiæ collegiatae valde tenues possiderent redditus, ita ut quilibet eorum triginta tantum annuatim reciperet imperiales, Episcopus dictæ ecclesiæ univit capellam 200. florenorum reddituum, cujus Patronus laicus est, & suum nepotem ad eam nominavit, subjectum dignum & capax. Unio hæc facta est observatis requisitis formalitatibus. Jam quaeritur, an Episcopus possit nominato ad capellam denegare provisionem?

ꝑ. Episcopus tenetur concedere provisionem dicto nominato ad capellam: nam non potuit unire Beneficium Episcopus sine consensu Patroni laici. Pontas.

CASUS VII. Theotimus titularis Capellæ S. Euphemie denegavit consensum ad unionem, quam Episcopus facere cogit.

gitabat ad suum seminarium; Episcopus nihilominus perfecte unionem. An hæc unio est canonica? An Episcopus absque iniustitia unionem facere potuit?

g. Si titularis gaudet redditibus Beneficii durante sua vita, Episcopus legitime potest illud unire juxta Clementem V. Cap. *Si una*. 2. Clement. Lib. 3. Tit. 4. ubi ait: *Si una ecclesia alteri ecclesie, seu dignitati alicui vel præbendæ per Episcopum suo consentiente Capitulo uniatur . . . ex eo quod Rector ipsius ad hoc vocatus non exstiterit, nequaquam id poterit impugnavi.* Pontas.

CASUS VIII. Canonici ecclesie cujusdam collegiatæ, cum quilibet eorum 75. florenos tantum annuos redditus haberet, rogarunt Episcopum, ut tres canonicatus vacantes super meret, & redditus eorum uniret præbendis suis. Episcopus perfecit unionem; Joannes vero unus Canonicorum quaerit, an tuta conscientia frui possit redditibus vi unionis auctis?

g. Tutissime hac accessione reddituum fruitur; juxta Concilium enim Tridentinum Sess. 24. c. 15. Episcopus potest exigentibus id circumstantiis suppressere quosdam canonicatus, eosque præbendis egentium unire. Requiritur autem in præfenti casu, ut postulatio Canonicorum facta Episcopo veritate nitatur. Pontas.

NOTA. Circa ejusmodi suppressiones Canonicatum, si non necessarium, saltem consultius foret Episcopo se convertere ad Sedem Apostolicam ob varietatem circumstantiarum menti Patrum Concilii Tridentini fors non obverantium, vel ob spem alterius remedii facilioris ad sublevamen indigentiae Canonicorum suggerendi.

CASUS IX. Capitulum cujusdam ecclesie collegiatæ, cum ejus Canonici non haberent, sufficientes redditus ad sustentandam decentiam ac dignitatem status sui, univit uni canonicatui parochiam, ad quam jus præsentandi habebat, ea conditione, ut quarta pars reddituum parochialium cederet Capitulo in singulos dividenda. An hæc unio est licita ac valida?

g. Hæc unio nec est licita nec valida. Ratio est 1. Quia Beneficia curata sunt incompatibilia cum canonicatibus, nisi fors cum dispensatione in eadem ecclesia: *In unionibus vero quibuslibet*, ait Tridentinum Sess. 24. c. 13. de reform. ecclesie parochiales præbendis ecclesie cathedralis vel collegiatæ non uniantur. 2. Quia unio Beneficiorum valide fieri non potest nisi auctoritate Episcopi, non vero Capituli, quantumvis exempti. Quod vero hæc unio sit simoniaca, ex eo patet; quia facta est ex motivo commodi temporalis,

nem.

nempe intuitu quartæ partis reddituum parochialium; in materia autem beneficiæ omnis conventio a summo Pontifice non approbata illicita ac simoniaca est. Hinc Canonici omnes incurrerunt censuras in simoniacos latis; nec eos excusare potest ignorantia, utpote in re iure divino & canonico prohibita: *Ignorantia facti, non juris excusat.* Reg. juris 13. in 6. Pontas.

CASUS X. Optatus Archidiaconus ecclesie Navarrensis in districtu archidiaconatus sui ducentas circiter singulis annis parochias visitare tenetur; ex quo sæpe accidit, ut ex correctione immorigerorum Clericorum lites oriantur, quæ propriis ipsi sumptibus sustentandæ sunt. Cum autem redditibus frueretur omnino tenuibus, & ad ea omnia præstanda haud sufficientibus, petit unionem tertie partis proventus cujusdam parochie pinguis, & quidem consentiente paroco. An fieri potest hujusmodi unio?

g. Archidiaconus tuta conscientia unionem istam petere non potest, nec Episcopus concedere; nam 1. Redditi ecclesiastici nunquam uniri possunt Beneficio, nisi id exigat necessitas aut utilitas Ecclesie, qualis tamen non datur respectu archidiaconatus. 2. Posito quod detur necessitas augendi redditus annuos Archidiaconi, id fieri deberet per unionem simplicis Beneficii. 3. Potior daretur ratio uniendi partem reddituum pinguis parochie cum alia tenui parochia quam cum archidiaconatu; & tamen id nunquam fit. 4. Beneficium curatum nunquam censetur habere superfluos redditus; quæ enim congruæ sustentationi parochi superflua, bona sunt pauperibus debita. 5. Denique ad proventus annuos stabiles archidiaconatus affixos accedunt etiam Archidiacono alii redditus ex visitationibus & parochiis vacantibus, ut S. Beuve advertit Tom. 1. cas. 182. Pontas.

NOTA. Pontasius hic non attendit, sæculo adhuc decimo redditus omnium parochiarum, præsertim decimas, immediate pertinuisse ad jus & dispensationem Episcopi, qui parochiis solum assignavit congruam. Nec Episcopi reperiuntur unquam renunciasse juri suo succurrendi paroco pauperi ex parochia redundante per reservationes pensionis perpetuæ.

CASUS XI. Hercules Dux possidet castrum in parochia, cujus jus patronatus & dominium temporale spectat ad Nobilem quemdam; nunquam autem adit ecclesiam parochialem, ne Patrono & domino loci territoriali primum cedere locum teneatur. Petit igitur ab Episcopo, ut ad abscindendam omnem litem castrum adjungat vicinæ parochie sue sub domi-

S s 2

nie

nio constitutæ; maxime cum & parochus in hanc sejunctionem consentiat. Potestne castrum adungi alteri parochiæ?

R. Potest quidem Episcopus facere ejusmodi dismembrationem ex causa legitima. In præsentem autem casum, cum non subsit legitima causa, ea nec ab Hercule tuta conscientia peti, nec ab Episcopo concedi potest: parochus quoque male egit suum dando consensum. *Pontas.*

CASUS XII. Adeodatus Abbas regularis plenam habet jurisdictionem quoad spiritualia in plures ecclesias parochiales, & unam collegiatam ex sex Canonicis ac totidem Capellanis constantem. Cum vero Canonici ob omnino tenues redditus subsistere non possint, Abbas cogitat eorum redditibus unire tres Capellanas vacantes. An id propria auctoritate facere potest?

R. Unio Beneficiorum est juris pure episcopalis, cujus inferior Prælati, qualiscunque demum sit, capax non est. Hinc Adeodatus non potest unire dictas tres Capellanas Canonicatibus, de quibus in præsentem casum agitur. *Pontas.*

CASUS XIII. Quidam Abbas, & dominus simul parochiæ, ecclesiæ dirutæ redditus sibi vindicavit, & ejus curam demandavit parochi vicino.

R. Non potest id facere sine permissione Episcopi, & si titulus parochiæ non potest conservari, nec ecclesia reedificari, debet uniri parochiæ viciniore, & commodiore. *De Lamet.*

CASUS XIV. Potestne Beneficium uniri Collegio alterius diocesis?

R. Potest uniri; dummodo serventur formalitates requisitiæ. Verum ad confirmandam stipulationem, qua Collegium promittit annuam pensionem fixam loco reddituum Beneficii, requiritur auctoritas Papæ. *Fromageau.*

CASUS XV. Potestne uniri parochia Collegio?

R. Talis unio repugnat Concilio Tridentino; si tamen daretur gravis causa uniendi, cavendum omnino foret ab omni conventionem simoniaca. *Fromageau.*

CASUS XVI. An Episcopus unire potest Beneficium Collegio?

R. Potest unire, si id evidens Ecclesiæ utilitas exigat; interim tamen ille, qui cedit Beneficio simplici uniendo seminario, aut alteri communitati, potest sibi ad dies vitæ reservare omnes fructus Beneficii. *Fromageau.*

CASUS XVII. Quidam officialis a Papa obtinuit commissionem uniendi Prioratum simplicem monasterio Benedictinorum Anglicorum. An vi hujus commissionis nova Prioratui onera potest imponere, quibus antea non subiacebat?

R. Non

R. Non potest; sed tenetur agere juxta tenorem Bullæ Pontificiæ, in qua data ipsi potestas denotatur una cum oneribus Prioratui portandis. *De Lamet.*

CASUS XVIII. Unita est quædam parochia archidiaconatui absque necessitate, & informatione juridica. Estne valida hæc unio?

R. Repugnat legibus Ecclesiæ; & consequenter est nulla & abusiva. Nec macula hæc abstergitur possessione etiam quadraginta annorum. *De Lamet.*

CASUS XIX. Quidam Abbas ab immemoriali tempore gaudet jurisdictione episcopali in sua Abbazia, & in magno districtu ab ea dependente, an propterea jus habet uniendi tenues parochias, quæ sunt in urbe, ubi ipsius Abbazia sita est?

R. Potest unire, si dictarum parochiarum redditus sint omnino tenues, & numerus parochianorum valde exiguus, ac etiam ecclesiæ ita invicem vicinæ, ut Divina, quæ sunt in una, impediantur ab altera, & etiam sonitus campanarum se invicem confundant. Hæc unio tamen modo convenienti fieri debet. *De Lamet.*

CASUS XX. Crispus parochus suum Beneficium resignavit Episcopo, uniendum mensæ episcopali. Motivum præcipuum hujus unionis erat, quod ædes parochiales Episcopo in visitatione diocesis peraccommodæ acciderent. Episcopus vicissim spondet, se Crispo collaturum aliud Beneficium haud minorum reddituum, ac insuper per duos annos pensionis instar persolutorum 100. florenos. Quid de hac unione sentiendum?

R. Hæc unio est simoniaca ac nulla, nec ullius unquam temporis lapsu hæc labes purgari potest. Redditi ex parochia percepti ab eo tempore, quo vitium unionis agnitum est, restitui debent, parochiaque devolutioni subjicienda. *Fromageau.*

CASUS XXI. Castellus Prior curatus multum sollicitatur, ut Beneficium suum uniri permittat cum Confraternitate doctrinæ Christianæ, quæ ipsi relictura esset omnes ejusdem proventus ad dies vitæ,

R. Castellus non potest consentire in hanc unionem, utpote haud futuram de necessitate aut utilitate Ecclesiæ. Et si Episcopus ipso & parochianis invitis vellet tentare hanc unionem, teneretur se opponere una cum parochianis suis, qui hac in re omnino audiri deberent. Si his omnibus non obstantibus perficeretur unio, Beneficium considerandum foret ut vacans. *Fromageau.*

Vide Beneficium. Episcopus. Jurisdictio.